



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus LII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

hîc sapiamus ! Ubi una electione status, felix, aut
infortunata eligitur æternitas.



MODUS LII.

A Notatione seu Ethymologia nominis, quan-
do scilicet origine nominis deducta, probe-
tur id nominis rei convenire, vel non conve-
nire. E. g. si in festo SS. Apostolorum Petri & Pau-
li, D. Petrum esse veram solidamque petram pro-
bes. 1. quod fundatam super se Ecclesiam susti-
neat firmissimè. 2. quod adversariorum impetus
retundat robustissimè, 3. quod quanquam cun-
ctis emineat altissimè, radices tamen in terra per
humilitatem agat robustissimas. Unde & D. Pe-
trus capite ad terram verso, crucifigi voluit.

Ad Notationem, revocanda Anagrammata no-
minum, quæ dum sint gravia. convenientem orato-
ri sacro dabunt materiã. E. g. in Festo S. Casimiri
M. D. L. Patroni, posset nomen ejus anagramma-
ticè explicari. Casimirus *sum ac Iris* quod aptè il-
li applicaveris, sive quod schismate sublato pacis
inter Deum & Lithvaniã signum dici possit, unde
& in Polonico idiomate nomen ejus olim pronun-
tiabatur *Kazemirus* quod, autorè pacis significat,
sive quod, ut Iris à sole ita ille à SS. Eucharistia, quã

ponè noctes exigebat lumen mutuabat: sive quod
 Candor iridis ejus punctum viror virginitatem,
 rubor, mortem amare castitatis electam denotat.
 Rursus Casimirus *Casus miri* anagrammaticè reddi-
 tur. O quot miri casus in Casimiro! jacent re-
 gna contempta infra pedes, & vita infra virtutem,
 Unde illud.

*Sponte cadis, sed amore cadis Casimire pudoris,
 Mirus te Christo mirificante cadis.*

Sic & Ignatius, dicitur ignis natus, ad illuminan-
 dos homines ad accendendos frigidos, ad exuren-
 da vitia.

Modus promovendi Orationem à Notatio-
 ne sive sit illa una, sive plures, idem tenendus, qui
 præscriptus est, de Definitione.

P R A X I S.

In prædicto Festo S. Casimiri Patroni
 M. D. Lithvania.

Casimirus,
 Anagramma,
 Mirus Isaac.

*Beati servi illi, quos cum venerit Dominus inven-
 nient vigilantes. Luc. 12.*

Accessus & Propositio. Nomina à Deo ad signi-
 ficandas virtutes SS. imponi, tum Abrahami
 & D. Petri exemplo, tum aliorum multorum patet.
 Inter hos ego numeraverim D. Casimirum M. D.
 L. Patronum. Quid ita? urgent cum alia significa-
 ta

ta ejus nominis virtutibus D. Juvenis significandis cognata, tum id, quod Casimirus, vocibus paululum mutatis reddatur *Isac Mirus*. Mirus Isac Casimirus, quia pariter ac ille, à prima etate virtuti additissimus, Mirus Isac Casimirus, quia pariter ac ille, divinorum contemplator deditissimus: Mirus Isac Casimirus quia pariter ac ille, divinis legibus obedientissimus: illud tamen præ ceteris, Casimirum facit Isaacum Mirum, quod sicut Isaac sub gladio parentis constitutus, fieri voluit victima, DEO gratissima. Ita D. Casimirus, Isaac nobis mirus, vixit ceciditque victima, ejusdem Majestati devotissima. Huic tanto operi pensitando, nunc insistam, & cum D. Casimirum, factum esse victimam Dei, eamque miram demonstravero, abundè id quoque patebit, quod is fuerit Isac mirus, & quod eum Dominus, invenerit vigilantem.

Confirmatio, D. Casimirus fuit victima DEO sacra, eaque mira, in sui devotione & immolatione. Igitur fuit
Isac mirus.

D. Casimirus victima Deo sacra: notum illud D. Isid. Pelus. lib. 3. ep. 75. *Pulcherrima victima est pia mentem & castam carnem habere.* Duo hæc sunt, quæ hominem constituunt, & duo sunt, quæ sanctè culta, eundem Deo consecrant Psal. 4. *Sacrificate sacrificium justitiae.* Quid justius, quam ut ei te des, à quo te accepisti? quid sanctius, quam ut totundes, quod accepisti? Hoc vero est mens pia, & corpus castum. Hæc sunt

S § primi-

primitiæ hominis, DE O caræ, hoc par turturum
 aut columbarum, à matribus post partum offerri
 præceptum, sed & ab ipsis nobis offerendum; at-
 que à D. Casimiro, promptissimo animo oblatum.
 Cum, ideo è communi vulgo exemptus, & Regio
 sanguine ortus, videri potest, ut Principatibus, &
 Regnis se manciparet: Deo priùs sacrari voluit
 cujus Majestati animo addicto, corpus quoque ca-
 stitatis inviolabili amore Regius Princeps sacra-
 vit: ut quantus quantus viveret, ac quantus quan-
 tus occideret, victima Deo viveret, occideretque.
 Sed neque qualiscunque victima, verùm mira in
 sui devotione, mira & in immolatione, ut quàm
 excellentissima ratione, *Casimirus, fieret Isaac mirus,*
 Mira igitur hæc victima in sui devotione, quod ut
 pateat, revocandum est, quod cap. Gen. 22. habe-
 tur, Dominum scilicet tentasse Abraham, cum di-
 ceret. *Tolle, filium tuum unigenitum, quem diligis*
Isaac: & vade in terram visionis, atq; ibi offeres eum
in holocaustum. Quibus verbis contineri præce-
 ptum, Abrahamum ad immolationem filii obli-
 gans, autores consentiunt, Grande sanè præce-
 ptum, grandis obedientia Abrahami, grandis &
 Isaaci, qui ita voluntatem Dei à parente cognitam
 sit veneratus; ut mortem, ad ejus placitum libens
 elegerit, & illi se devoverit. Nihil minus in D.
 Casimiro cogitandum, illud autem, utpote in Isaac
 miro magis quoque admirandum: quod nulla le-
 ge, nullo præcepto arctatus, ad mortem pro DEI
 placito subeundam se devoverit; virginitatis glo-
 riam,

riam,

riam: Christo intemeratam oblaturus. Certè si mors ea de causa suscepta defuisset: vita ipsa, castè atque intemeratè exacta mors haberi debuisset, & Casimirum victimam miram, mirumque Isaacum effecisset. Hoc significavit ante Paulus, cum Romanos cap. 12. obsecraret. *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam, DEoplacentem.* Hoc denunciat Magnus Tertullianus lib. de velan Virginib. cum virginitatem definiuit. *Virginitas est curarum silentium, pars carnis, virtutum Principatus, natura oblivio.* Religiosus vir diu eremum (in V. V. Patrum) incoluerat, cum ejus germanus auxilii sæcularis egens, Eremitam adiit, ut sibi prodesset rogaturus. Respondit ille, pergeret ad 3. fratrem: quem, cum alter defunctum paucos ante annos nunciasset. Atque ego, inquit, à tot annis, quot à mundo secessi mortuus sum. B. quoque Basilus apud Nazian: in ejus laudem: cum iudex tormenta minitaretur. *Quid agere; inquit, tormenta queant, cum corpus desit?* Hos tales viros nemo non sacras Deo victimas dixerit. Talis certè apud Deum haberi speravit August. de utilitate jejunii, cum dixit *Exercitio me, ut ille parcat, do de me penas ut ille subveniat; ut placeam oculis ejus, & delectem suavitatem ejus, Nam & victima excrucietur, ut in aram imponatur.* Jungamus hic, Isaac mirum. D. Casimirum. An non hîc, dum virgo vivit vivus moritur, dum vivus moritur vivus sit victima, eaque

eaque mira: five quod tam facilè spontanea, five
 tam prompte, Deo devota. Nondum strinxit mors
 gladium, sed jam transfixit victimam felicem, vir-
 ginitatis martyrium; nondum concidit corpus, sed
 jam jacet corporis indulgentia; nondum sublectus
 sentiendi vigor, sed jam præcisa sentiendi licentia;
 nondum transactum hostiæ caput, sed jam trunca
 in innocente voluptas; nondum divisus, à confor-
 tio corporis animus, sed jam separatus ab illecebris
 mundi, spiritus. Vivit, & mortuus est, sensit, & sen-
 su caret. Regnis præest, & in supremæ majestatis
 cultum, Deo, Regi, occidua victima adsternitur.
 O Casimirum, Isaac mirum! o miram victimam!
 atque dignam, quæ ipsa, sit *victima & altare* quem-
 admodum D. Hieronymus virginem ep. 8. ad De-
 metrium appellat, At non desunt aliæ quoque aræ,
 ad quas hanc victimam mirus hic Isaac devo-
 veat. Quid enim aliud agat, illa pietas, qua
 noctes perpetuas, ante templum D. Stanislao
 Vilmæ sacrum, exigit? quid illa, quâ sacerdo-
 tibus litantibus prociduis in terra, Princeps adest?
 quid, quâ templa ignoto hominibus habita, & non
 rarò suis quoque satellitibus contempto, venera-
 tur? Virginitati hæc sacra litantur, Casimirus Deo
 victima occumbit, sed parum hæc sunt Casimiro.
 Cum vivens factus sit Deo victima, moriens quo-
 que victima cadere cupit, adeoque ut virginitatem
 semel devotam, integram conservet, cum medico-
 rum sententia & consilio vivere non virgo posset,
 mori virgo mavult. O Casimirum, nimium ite-
 rum Isaac mirum! O admirandum vitæ contem-
 ptorem!

prorem! O triumphatorem mortis prædicandum! delectet spectaculum morientis, quibus probetur exemplum viventis: jacet Regius adolescens, Principe insignis purpura, ponè illum sceptrum & diadema, sanguinis, & successionis insignia. Turba frequens aulicorum, consanguineorum, amicorum circumstat, parens senio mæstus, lacrymis cara colla rigat, omnes suam felicitatem, suum decus in ejus vita situm, supplices profitentur. Ætas, alia parte immatura, Regum opulentia, Princeps libertas, illecebræ voluptatum; comitatum, & suffragia hominum augent; unum rogant, unum suadent vivere velit, proposito cedat. Quid hic agat, fortissimorum unusquisque, quò se vertat discat à Casimiro, si à virtute non didicit, *Malle mori, quam fadari.* Maluit enim verò ille; & vitæ defectu, amore virtutis suscepto, obiit. Videte ut hic gloria D. Casimiri assurgit, ut & Isaac vera mortis immortalitate, & mirus Isaac suspici debet. Gen. 22. postquam gladio subductus est Isaacus, dicit Dominus ad Abraham. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti, filio tuo unigenito propter me benedicam tibi.* Verissime Theophil. *Liber alis munerum nostrorum est acceptor Deus: cui desideria usq; ad eò accepta sunt, ut pro opere libenter acceptet.* Et Nazian. Oratione de Laud. Basil. *Magnus Abraham es Patriarcha, & novæ victimæ mactator.* Est tamen suum quoque operi pretium, est morti non solum nolitæ sed & obitæ. Unde Psalm 125. *Preiosa in conspectu Domini, mors sanctorum ejus.* Magnus Abraham novæ victimæ mactator, magnus Isaac novæ victimæ susce-

susceptor; Magnus & Isaac, ac inde Isaac mirus.
 Casimirus ipse, difficillimæ mortis pro Deo susce-
 ptæ nova victima, novum sacrificium, holocau-
 stum. Non dixerim in hac Isaaci mori volentis, &
 Casimiri morientis comparatione quod Zeno ve-
 ron. Ser. I. de Abrahamo, noctu consurgente, ad
 immolandum, dixit. *Facile est incessisse scandamus
 montem, jungamus ligna, exeat gladius: illud tamen
 meritò revoco, quod apud D. Paulum 2. ad Co-
 rinth. 4. lego. Ut sublimitas sit virtutis Dei, & non
 ex nobis quæ illa? Si forte tribulationem patimus.
 sed non angustiatur; aperiatur, sed non desti-
 tuimur, dejicimur sed non perimus.* Scili-
 cet, non humanarum virium est, in tot difficul-
 tatibus operum heroicorum, illas timere, trium-
 phare: sed virtutis Dei sublimitas, & ut Græca ha-
 bent *Hyperbole virtutis Dei.* Hæc Hyperbole igitur,
 hæc sublimitas in D. operata Casimiro, cum
 tam liberis victima castitatis caderet. *Casimirus
 Isaac Mirus.* Contemplatus Abrahæ & Isaaci holo-
 caustū zeno, qui supra, lib. de patientia exclamavit.
*O novum spectaculum! ac verè Deo dignum, in quo
 finire difficile est utrum sit patientior victima, an sa-
 cerdos? non percussoris, non percutiendi claudicat co-
 lor, non membra tremore vibrantur, non demissi, non
 torvi sunt oculi. Nemo rogat, nemo trepidat, nemo se
 excusat, nemo turbatur, nè verè sit parricidium. Ille
 erexit gladium, iste cervicem sub tanto, non dico hu-
 manitatis, sed nature metu, lati sunt, medius stupet
 gladius, nullo impedimento suspensus. Quid obsecro
 in spectaculo immolati Casimiri, dicemus! An non
 hoc quoque novum, & Deo dignum spectaculum?*
 sub

sub paterna manu Isaac, sub mortis ictu, Casimirus spectatur. Non quæritur verò, patientior sit victima an sacerdos? quia ipse victima & sacerdos: Inde tamen, non percussoris, non percutiendi claudicat color, suam, contra se, non manum, sed virtutem armat, non membra tremore vibrantur, non demissi non torvi sunt oculi. Atrogat Pater, trepidat curia, turbatur Regnum, nè verè sit parricidium. Gloriæ ista materies, non imminutio est: dum Casimirus, sub totius naturæ metu solus lætus est, dum in tantis casibus, gaudet: & se Dominum promeruisse, quod item, Zeno dicit, triumphat. Quærit, Basil. Selen, orat. 7. quid sit, quod Abrahâ immolaturus filium, id secreti, Saræ uxori non prodiderit, & respondet. *Facinus tam audax, Saram celat, neq; ad matrem affert mandata. Quamobrem? amans Dei est, at ingenium ejus vereor. Intueor matris in Deum pro pensionem, ac metuo affectum in liberos. Dei amans est mulier? at mater est. Mulieres, natura impotentiâ devictæ, res importuna. Vereor ne lacrimis sacra fadet, ne puero complorato injuriam imperanti arroget: ne vultu confuso, sacra dissiciat, Deoq; vim afferat: nè mente infracta, rei tam stupendæ, gratiâ spoliet.* Cessêre hæc omnia pericula Casimiro, cessêre Isaacovo novo, ac miro, nihil lachrymæ parentis, nihil dolor, nihil gemitus innumerorum in fortissimum pectus valuit. Non celata victimæ necessitas, sed sponte suscepta: non imminuta, innumeris artibus devotio sed accensa sanctitas; manus quoq; ejus ligatæ non sunt. Invisus mundo, carni vitæ morti, suapte ac constantissimè Deo se obtulit victimam, Casimirus. *Isac mirus.*

MO-